UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Ecclesiæ hostes Deipara eam protegente misere perierunt, n. 59

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

ECCLESIAE HOSTES DEIPARA EAM *protegente miſere perierunt.*

S. Eccleſiæ hoſtes à Deipara puniuntur

59 NOn deſunt complura exempla infidelium, aliorumque Eccleſiæ hoſtium, qui ſingulari Deiparæ ope contra noxium ſerpentis caput ſtrenuè dimicantis contriti ſunt, atque extincti, dignasq; ſcelerũ ſuorũ pœnas, etiam in præſenti vita dederunt. Ex his aliquot ſubjiciemus. Quamuis enim, ut rectè de Deipara Bernardus ſerm. Signum magnum: Nihil, inquit, *auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt, offerens lac, & lanam* & infra: *Quod ſi (ut verè ſunt) plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena manſuetudinis, & miſericordiæ, quæ ad eam pertinent, inueneris, age gratias ei, qui talem Mediatricem benigniſſima miſeratione prouidit.* Ad miſericordiam tamen ejus ſpectat, etiam Eccleſiæ hoſtes peſtilentiſſimos, tanquam lupos truculentos à filij ſui grege arcere, quo eorum furore compreſſo, fideles ſuæ ſaluti quietè vacare, & diuinæ Majeſtati ſecura mente deſeruire poſſint, quin etiam reliqui infideles aliorum pœna edocti ab Eccleſiæ vexatione abſterreantur. Sapienter enim illud pronunciauit Salomon Prouerb. 19. *Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit.* In bellis quoque Chriſtianorum Deiparam ſanctiſſimam tonitrua contra fidei hoſtes ejaculari, Opemque ſuam fidelibus impertiri ſolitam, minimè dubijs ſignificationibus ſæpe compertum eſt, quemadmodum in tractatu de exemplis perſpicuè apparebit.

Bernard.

Prouer. 19.

IVLIANVS APOSTATA A S. MERCVrio *Deiparæ juſſu interemptus.*

IVLIANVS Apoſtata Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimus juxta ac ſæuiſſimus Chriſtianos poſt reditum è bello Perſico (in quo tamen infœliciter perijt) falſis ſuis Diis victimam deuouerat: quare viri, qui ea tempeſtate ſanctitate clarebant, multis lachrymis Deo rem Chriſtianam commendabant. Tandem Julianus mandato Dei genitricis ad preces S. Baſilij coram eiuſdem imagine fuſas à S. Mercurio Martyre haſta traiectus: *Et*, ut verbis utar Nazianzeni orat. 2. in Julianum, *letale certè, orbiq; uniuerſo ſalutare vulnus accepit.* Rem geſtam non ex vita Baſilii, quæ ſub Amphilochii nomine circũfertur, quã non recipit Baronius tom. 4. Annal. ad Annum Chriſti 363. ſed ex fragmento vitæ Baſilij ab Helladio conſcripta hîc ponimus: quod Damaſcenus in oratione prima de Imagin. refert his verbis. Quod autem Imaginum inſtitutio non noua, ſed priſca ſit, & apud Sanctos, & eximios Patres nota, & uſitata diſce ex his, quæ in vita beati Baſilij ab Helladio ejus diſcipulo, in Pontificatuque ſucceſſore conſcripta ſunt; Pius enim vir, ut ipſe narrat Dominæ noſtræ aſtabat imagini, in qua Mercurij, etiam celebris Martyris figura deſcripta erat, aſtabat autem ſupplicans, ut impius Iulianus tolleretur; ex qua quidem Imagine didicit quid eſſet euenturum: vidit enim Martyrem ad exiguum tempus obſcurum, id eſt (ut rectè interpretatur Billius) ab oculis ſuis euaneſcentem: non multò autem poſt haſtam cruentam tenentem. hæc apud Damaſcenum ex Helladio. Quibus conſonat Sozomenus libro 6. c. 2. qui refert viſionem quandam alteri objectam, qua duo ex Sanctis ad Iulianum delendum egrediebantur, & ſequenti nocte ij per viſum Iulianum occiſum nunciárunt. Nicephorus verò lib. 10. c. 35. duorum illorum nomina ponit, alterum ait vocatum Mercurium Martyrem, alterum verò Artemium, item Martyrem, ambos egregios olim milites Chriſtianos: hinc enim eſt quòd percuſſor Juliani ignotus fuerit; etiam ijs, qui in eo certamine cum eo militabant, & S. Nazianzenus, qui multorum refert ea de re ſermones in orat. 1. contra Iulianum, & in orat. in laudem Athanaſij diuina virtute id confectum tradit: certè ex nece Iuliani Deiparæ juſſu veluti tonitru per S. Mercurium facta, magna pax in eccleſia eſt conſecuta.

Iulianus Apoſtata Deipara juſſu à S. Mercurio interficitur.

Nazianz.

Baronius.

Damaſc.

Billius.

Helladius.

Sozomen.

Niceph.

Mercurius & Artemius martyres.

Nazianz.

Sed ne caput hoc nimium protrahatur, reliqua ejuſmodi exempla uberiùs proſequar ad calcem Tractatus de Exemplis Deiparæ, eorum tamen argumentum in lectoris gratiam eodem, quo ibi recenſentur, ordine hic ſubjiciam.

HÆRETICI, ALIIQ. CHRISTIANI *nominis hoſtes Deiparæ ope deleti; quorum exempla in Tractatu de Miraculis fuſiùs narrantur.*

60 NEſtorius impietatis ſuæ in Deiparam pœnas luit.

Hæretici, aliiq; Chri

Ana-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN